



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

Epistola IX. Zosimi Papae Ad Patroclvm Episcopcm Arelatensem. Aduersus
Proculum, & repentinae neophytorum promotiones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

sumptioni tuæ, quam extulisse contra veterem consuetudinem videbaris, modum noueris iustæ præscriptio-
nis indictum. neque æstimes tibi vterius pontificatum de
ordinandis fæderotibus vindicandum: cum hoc videoas
Arelatensis episcopo ciuitatis, & per apostolicam sedem,
& per S. Trophimi reuerentiam, & per veterem consue-
tudinem, & nostra recenti euidentissima definitione de-
ferri. Si quid contra hæc, frater carissime, quæ a nobis sunt
sub Dei iudicio statuta, tentaueris, non solum quos fa-
ciendos credideris, episcopatum obtinere non posse, sed
etiam ipse catholica communione discretus, sero de illici-
tis præsumptionibus ingemiscas. Data sub die 11. Kalend.
Octob. Honorio Augusto xi. & Constantio ii. consulibus.

EPISTOLA IX.

ZOSIMI PAPÆ

AD PATROCLVM EPISCOPVM ARELATENSEM.

Aduersus Proculum, & repentina neophytorum
promotiones.

Zosimus Patroclo episcopo Arelatensi.

QVID de Proculi damnatione censuerim, tenet con-
scientia tua, cum meo interesses examini, nec te
gestorum nostrorum auctoritas latet, vel scriptorum,
quæ de ipsis damnatione per terrarum diuersa loca di-
reximus. Vnde metropolitani in te dignitatem atque per-
sonam, etiam apostolica sedis auctoritate considera, in
quem furtive locum pro indebita Synodo Proculus usur-
patum irrepererat. Quicumque igitur ex Gallicanis vn-
deunde regionibus veniunt, sub quouis ecclesiastico
nomine vel gradu, formatas per te commoniti mitten-
das esse cognoscant: alioquin sibi imputabunt, si inef-
ficaciter, hac solennitate postposita, te inconsulto ad nos
venire tentauerint. quod ab episcopis usque ad vlti-
mum ecclesiasticum gradum obseruari conueniet, fra-
ter carissime. Et quia nonnulli ex quacumque militia
se ad ecclesiam conferentes, statim saltu quodam sum-
matem locum religionis affectant, qui gradatim per ec-
clesiastica stipendia venientibus explorata solet discus-

sione differri : idcirco quoniam in nonnullis factum infirmare non possumus , si qui iam ordinati sunt , in eo gradu , ad quem saltu subito peruererunt , perdurare debebunt . Si enim apostolus neophytum sacerdotio non ^{1. Tim. 3.} statim cumulari iubet , & hoc idem Canonum statuta sanxerunt ; hoc addimus nostra sententia , vt quisquis de cetero vel summo sacerdotio , vel presbyterii gradu , vel diaconatus crediderit cumulandum , sciat & se gradus sui subire iacturam , nec in illum valitura esse quæ contulit : vt faltem ab ordinatione præcipiti metus iste summoueat , quos examinata discussio coercere debuisset . Scripta nostra in omnium facies notitiam peruenire , vt nec hoc quidem ipsum tibi , quod omnibus interdictum est , licere cognoscas . Data IIII. Kalendas Octobris Honorio XI. & Constantio II. consulibus .

EPISTOLA X.
ZOSIMI PAPÆ
AD CONCILIVM CARTHAGINENSE.

Iudicium Cælestii se catholicum profitentis , vsque ad meliorem informationem ab Africanis expletam , dilatum esse enuntiat .

Zosimus Aurelio ac ceteris qui in Concilio Carthaginensi adfuerunt , dilectissimis fratribus , in Domino salutem .

QVAMVIS patrum traditio apostolicæ sedi auctoritatem tantam tribuerit , vt de eius iudicio disceptare nullus auderet , idque per canones semper regulasque seruauerit ; & currens adhuc suis legibus ecclesiastica disciplina Petri nomine , a quo ipsa quoque descendit , reuarentiam quam debet , exoluat : tantam enim huic apostolo canonica antiquitas per sententias omnium voluit esse potentiam , ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione , vt & ligata solueret , & soluta vinciret ; par potestatis data conditio in eos qui sedis hereditatem , ipso annuentे , meruissent . Habet enim ipse cum omnium ecclesia-
Sedis apostolicæ & Romanorum pontificum lumina auctoritas.
rum , tum huius maxime , vbi federat , curam ; nec patitur aliquid priuilegii aliqua titubare aura sententiæ , cui ipsa sui nominis firma , & nullis hebetata motibus constituit

Fff iii